

Atque amb. thematizatur.

Alexandri PP. Subscriptio.

to repulsus, laicorum tantum communioni deputetur. Si vero adhuc quoque obstinato animo in eadem pertinacia manere presumpserit, & admonitus ad hoc, quod salubriter decrevimus, reverti noluerit, a liminibus sancte Matris Ecclesie, quam impugnare non desinit, alienus existat. Conservator autem hujus nostre canonice dispositionis, apostolica sit munitus intercessione, & gaudeat caelesti repletus benedictione. EGO ALEXANDER solius Dei misericordia, licet indignus, sancte Romanae & Apostolice Ecclesie Praesul, & Lucensis Episcopus, in hoc Decreto a me facto ad confirmandum SS.

XXXIII.

Decretum de non alienandis bonis, ad Ecclesiam Lucensem spectantibus.

De Ughe. de. cit.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Clero & Populo sancte Lucensis Ecclesie, in perpetuum.

Meridiam.

Quamvis circa omnes Ecclesias, per orbem terrarum longe lateque diffusas, pro earum gubernatione oculum nostrae speculationis intendere oporteat; praecipue tamen erga Lucanam Ecclesiam attentissime vigilare nos convenit, quia ei propter Episcopatus suscepti administrationem, & pro universalis apostolice consideratione dupliciter quodammodo providere compellimur. Quae de causa haec nostri cordis, Deo aspirante, voluntas semper inharere debet, ut quae in ea vel incuria vel malitia quorundam haecenus male pullulare cognovimus, rescare & emendare studeamus; & quae ad honorem & salutem ipsius Ecclesie spectare videantur, congrue ordinare & firmiter statuere debeamus. Ante nostra etenim tempora praecessores nostri, qui eidem Ecclesiae praesente visi sunt, seu propter carnalium propinquorum affectus, seu pecuniae amore illecti, vel etiam quorundam potentium nimia importunitate devicti, castella, terras, possessiones ipsius Ecclesiae ita indiserere superflua effusione largiti sunt, ut nec sibi, nec familiae suae, vel reliquis sibi ministrantibus, prout congruebat, in propriis necessitatibus succurrere potuissent. Fiebat itaque propter rerum penuriam, ut Ordines sacros, & ecclesiastica officia, quae pure & absque ulla venalitate, solo vitae aeternae intuitu, concedi oportet, pro pecuniae & diversorum munerum exactione, profanis quibusdam, & indignis tribuerent; & quod omnes Catholicos detestari & abominari oportet, de morte animae vitam corporis sustentarent. Proinde divina inspiratione communiti, ne de cetero tam grave peccatum ex occasione paupertatis emergat, praesenti decreto constituimus, & apostolica auctoritate firmamus, ut nullus deinceps Pontificum, quibus ipsa sancta Ecclesia commissa fuerit, castella, mansos, terras, possessiones, quas non modo ad manus nostras habemus, vel quas ipsa Ecclesia in antea, Deo largiente, pure & absque contradictione acquisitura est, praeter illa, quae in beneficium hucusque dari consueverunt, alicui ingenio, alienare vel auferre, seu alicui

Decretorum Episcoporum incuria in conservandis Ecclesie bonis.

Hinc inventa Simonis lahes.

De his non alienandis;

dare moliat, nisi necessitate cogente, in pignus ea sine malo ingenio ad tempus tradiderit, ea ratione, ut ante statutum tempus eas persolvat, & recipiat. Ita sane omnem alienationem, & quamcumque dationem penitus interdicimus, ut nemo in posterum praesumat, praedictas res Ecclesie vel per beneficium dare, aut per libellum concedere, aut quovis modo alicui personae tribuere, nisi tantum agricolis & laborantibus, & ipsi Episcopo vel ejus Misso aut Ministeriali rationem reddentibus; sed omni tempore intactae & illaese subsistant ad utilitatem Episcopi, & suae necessitatem Familiae sustentandam. Ne vero in dubium venire possit a quarum rerum traditione nos nostrosque successores per omnia volumus abstinere, praesentis decreti pagina nominatim illas inserere, adnotari praecipimus; ne vel ipsos Episcopos, vel procaces & importunos petitores latere possit ipsarum rerum notitia. Hic enumerata bona consilio relinquuntur. Haec itaque omnia, quae praesenti decreto connumeravimus, & si quae alia noviter acquirenda, quae Deus in manus nostras vel nostrorum successorum, sicut superius dictum est, dare voluerit, eo modo ordinamus, & firma stabilitate componimus, ut semper deinceps ad manus Lucensis Episcopi teneantur, & ad privatas ejus rationes spectare videantur, ut ex his valeat suae utilitati simul & honestati consulere, ac suae familiae decenter necessitati succurrere. Si quis nostrorum successorum haec, quae salubriter ad Ecclesiae honestatem, & ipsius Episcopi utilitatem statuta sunt, temerario ausu infringere, vel violare praesumpserit; vel carnali amore vel iniqua cupiditate devictus, contra haec aliquo ingenio venire temptaverit, pro sua praesumptione nodo excommunicationis & maledictionis alligatum se esse cognoscat, & ab Episcopali officio usque ad satisfactionem removendum, ita ut omne damnum, quod ex sua malitia sibi met ipsi & Ecclesiae ex hac re intulit, rescarcere cogatur. Ut vero omnia, quae superius comprehensa sunt, firma & illibata Deo auctore serventur, hanc Decreti paginam manus nostrae subscriptione, & sigilli nostri impressione confirmari praecipimus. * EGO ALEXANDER solius Dei misericordia, licet indignus, sancte Romanae & Apostolice Ecclesiae Praesul, & Lucensis Episcopus, in hac constitutionis a me factae pagina SS.

Nisi in pignus cogente necessitate.

Omnia huiusmodi bona Lucensi Episcopo conservantur.

Anathema contra inobstantes.

Et si Episcopus deprivationis poenam incurrat.

Alexandri PP. Subscriptio.

GRE.

S. GREGORIUS VII.

PAPA CLVII.

ANNO AERAE CHRISTI COM. MLXXXIII.



Hildebrandus S. R. E. Archidiaconus electus est Pontifex, & in Lateranensi Basilica inthronizatus die 22. Aprilis 1073., cum adhuc Alexandro Papae in eadem Ecclesia parentaret; dilata tamen est ordinatio in presbyterum ad octavam Pentecostes: qua facta, die 29. Junii anni ejusdem in Natali Apostolorum in Summum Pontificem, assumpto sibi Gregorii VII. nomine, consecratus est. Sedit in Pontificatu annos xii. mensem i. dies iv. ab electionis die computandos. Fuit autem temporibus Michaelis Ducadis, mox Nicephori Botoniatis, ac post huius Monachatum Alexii Comnenii in Oriente Imperatorum, in Occidente vero regnante Henrico IV. Germaniae Rege, ac post depositionem ejus Rodulpho Svecorum Duce. Postquam plurimos pro Ecclesia Dei labores, maximosque pro vindicandis ejusdem Ecclesiae, auctoritatisque Apostolicae juribus vexationes pertulisset, obdormivit in Domino die 25. Maji anno 1085., corpus vero in Ecclesia S. Apostoli & Evangelistae Matthaei sepulturae traditum est. Vacavit Sedes fere ad annum.

Bull. Rom. Tom. II.

Schisma Vigessimum tertium. In Romano Pontificatu sedente Gregorio VII. gravissimum Schisma passa est Ecclesia ab Henrico IV. Germaniae Rege, qui usum Investiturarum, quas pro Ecclesiis contra Canones dare consueverat, sibi a Gregorio in secunda Romana Synodo interdictum egre ferens, virus, quod Saxonica gente in rebellione persistente, peccatore celaverat, ea devicta evomit in Pontificem, coactoque Wormatiae conciliabulo eum a Pontificatu deponere tentavit. Haec cum innotuissent Gregorio, diem Regi indixit, lataque Excommunicationis sententia, omnibus Christianis juramento, quod illi fecerant, solutis, ipsum Regia dignitate privavit. Veniam petenti, quamquam subdole, non est denegata, & dignitas restituta. Sed brevi ad crimina relabentem iterata depositio & excommunicatio percussit. Quare iratus Rex apud Brixiam Schismaticorum conventum habuit, in quo Guibertus Ravennatis Archiepiscopus Antipapa electus est, & Gregorius Papa depositus die 25. Junii anni 1080. Anno vero sequenti die 12. Martii capta ab Henrico Rege per vim Urbe Roma Guibertus inthronizatus est apud S. Petrum, & Clemens III. nominatus. In Schismate vixit, quamvis ab Urbano II. in Concilio Beneventano excommunicatus, annos xxi. subitaque morte peremptus est, ineunte mense Octobri anni 1100. cujus ossa Ravennae sepulta Paschalis II. PP. anno 1106. exhumari, & in fluenta proijci fecit.

1.

Significat, Comiti de Rocejo sub quadam conditione eam Hispaniae partem concessam, quam a Saracenorum manibus eriperet: prohibet alios Principes jure eandem regionem cum copiis ingredi, partemque illam illius Provinciae sibi vindicare, nisi interveniat aqua pacto persolvendi jura S. Petri.

Super Extra. tract. ex Arch. Vatic. Extat quoque inter Epist. Decr. Summ. Pontiff. a. Card. Carafa edit. anno 1591. Tom. III. pag. 553. Apud Baronium & Card. Aguirre Cons. Hist. Lib. 1.

Gregorius in Romanum Pontificem electus omnibus Principibus in Terram Hispaniae proficisci volentibus perpetuam. Salutem in Domino Jesu Christo.

NON latere vos credimus, Regnum Hispaniae ab antiquo proprii juris sancti Petri fuisse; & adhuc, licet diu a Paganis sit occupatum.

D

Regnum Hispaniae ab antiquo juris S. Petri.

cupatum, lege tamen Justitiæ non evacuata, nonnulli mortalium, sed soli Apostolicæ Sedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo semel in proprietates Ecclesiarum juste pervenerit, manente eo, abusu quidem, sed ab eorum jure, occasione transeuntis temporis, sine legitima concessione divelli non poterit. Itaque Comes Evulus de Roccejo, cujus famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem sancti Petri ingredi, & a Paganorum manibus eripere cupiens, hanc concessionem ab Apostolica Sede obtinuit, ut partem illam, unde Paganos suo studio, & adjuncto sibi aliorum auxilio, expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis ex parte sancti Petri possideret. Qua in re & labore quicumque vestrum sibi adherere voluerit, omni charitatis affatu communitus erga honorem sancti Petri talem animum gerat, ut ab eo & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia securus accipiat. Si autem aliqui ex vobis seorsum ab illo propriis copiis eandem terram aliqua in parte intrare paraverint, decet, ut militiæ causam ex animi devotione quamjustissimam sibi proponat; jam nunc omni voto concipientes & ex corde statuentes, ne capta Terra rursdem, quas illi, qui nunc Deum ignorantes, eam occupant, injurias sancto Petro faciant. Hoc enim neminem vestrum ignorare volumus, quoniam, nisi æqua pactione persolvendi juris sancti Petri, in Regnum illud animadvertere staueritis, potius vobis Apostolica auctoritate, ne illuc tendatis interdicendo, contra feremur, quam sancta & universalis Mater Ecclesia idem a filiis suis, quod ab hostibus patiendo, non jam proprietatis suæ, sed filiorum detrimento facietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem & Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum in Partes illas misimus, in cujus ore nostra ad vos consilia & decreta plenius apertiusque differenda, ac vice nostra disponenda posuimus. Datum Romæ secundo Kalendas Maii Indictione Undecima.

Legatus A. S. ad id missus.

Dat. die 30. Aprilis Anno Domini 1073. Pontif. Gregor. anno I.

In Hist. Monast. hujus edidit Edmunda Martenne Peter. Script. Col. lect. Tom. IV.

Exordium.

Nulli fidelium est in dubio, quin Sedes Apostolica, eo quod universalis mater, & omnium Ecclesiarum Princeps est, omnibus his jure, ac debita sollicitudine præesse debeat, ut non eas Catholicæ tantum Religionis unitate concludat, sed generali circumspicione etiam ab his, quæ extrinsecus promoventur, pro sua auctoritate salvet, & muniat; inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ speciali & propria commendatione in tutelam ejusdem Sedis Apostolicæ se contulerunt, ut speciali caritate & studio suæ Matris amplexæ usquequaque secu-

riores, & liberiores ab omni infestatione consistere, ut dignum erat, ita Romana suscepit Ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præsidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima a nobis exempla sanctissimi viri reliquerunt, qui ante nos in illa, quam diximus, Apostolica Sede fulgentes, pro honore Ecclesiarum Dei, & exaltatione earum magis, quam pro vita aut salute sua, solliciti fuerunt; suscipientes Monasteria, & venerabilia loca in patrocinium apostolicæ defensionis, & confirmantes ea propriis privilegiis, quatinus ex quotidiana tranquillitate ardentius in devotione divinæ servitutis, & in omni bono proficerent. Qua in re quam pie, quam sancte fecerunt, & illorum nobis ostendit gloria, & ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum Oratoria in pace & tranquillitate consistunt, & Ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt; cum vero laus Deo digne promitur, & remedia peccatorum tam vivis quam defunctis impenduntur. Unde nos in eadem Sede Apostolica non nostris meritis, sed divina locati gratia, suscepti officii debitum considerantes, præfatum monasterium, cui tu, dilecte fili, & prænominate Abba, præesse dignoscis, tuo rogatu in tutelam Apostolicæ Sedis, & nostram & successorum nostrorum defensionem suscepimus, confirmantesque & corroborantes sibi per præsentis paginam privilegii, Ecclesiam sanctæ Mariæ super Axonam sitam, & Ecclesiam S. Sulpitii super Mosam, ceterasque possessiones tam in villis, quam Castellis, ceterisque Ecclesiis, & terris cultis aut incultis, seu in omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quas nunc jure possidet, aut in posterum Deo miserante acquirere, quatinus omnia ad communem utilitatem fratrum inibi Deo famulantium sub tuo tuorumque successorum regimine & congrua dispensatione semper inconvulsa illibataque permaneant. Si quis vero Regum, Sacerdotum, Clericorum, Judicum, ac secularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & nisi vel ea, quæ ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna penitentia illicite acta desleverit, a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem juxta servantibus eidem loco, pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Roman. Pontificum mos suscipiendi Monasteria in protectionem Sedis Apoll.

Quorum exemplo Monasterium Andaginesis sub defensione ejusdem Sedis fore declaratur.

Confirmatioque bonis omnibus ad illud pertinentibus.

Solius Abbatis regimini subjicitur.

Anathema in temerarios Privilegii hujus.

Bona servantibus.

Subscripsit autem manu propria Dominus Papa: MISERATIONES TUÆ, DOMINE, SUPER OMNIA OPERA TUA. Bene valete.

Datum Lateranis in Kalendis Maji per manus Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Bibliothecarii anno primo Pontificatus Domini Gregorii VII. Papæ Indictione XI.

Dat. die 1. Maii anno Domini 1073. Pontif. Gregorii anno I.

Ex-

III.

Excommunicatum a se denunciat Gotefredum Mediolanensis Ecclesiæ usurpatorem.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei omnibus fidelibus sancti Petri Apostolorum Principis in Longobardia commorantibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex edit. Car. Carafe.

Proemium.

Isa. 58.

Exech. 33.

Jerem. 48.

Gotefredi scelus in invadenda Ecclesia.

A synodo depositus & excommunicatus.

Eidem nullo pacto consentiendum.

Sicere vos volo fratres charissimi, quod & multi vestrum sciunt; quia in eo loco positi sumus, ut, velimus nolimus, omnibus gentibus maxime Christianis, veritatem & justitiam annuciare compellamur, dicente Domino: Clama ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. Et alibi: Si non annunciaris iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram. Item Propheta; maledictus (inquit) homo, qui prohibet gladium suum a sanguine, idest, verbum prædicationis a carnalium increpatione. Hæc ideo prælibavimus, quia inter multa mala, quæ ubique terrarum sunt, quidam ministri satanæ, & præcones Antechristi in Longobardia etiam fidem Christianam conantur confundere, & iram Dei super se provocare. Nam sicut scitis, Gotefredus, vivente Guidone dicto Archiepiscopo Mediolanensi, eandem Ecclesiam, quæ quondam meritis gloriosissimæ Virginis, & genitricis Dei Mariæ, necnon auctoritate clarissimi Doctoris B. Ambrosii inter ceteras Longobardorum Ecclesias, religione, libertate, ac speciali gloria enituit, nunc quasi vilem ancillam præsumpsit emere, Sponsam videlicet Christi diabolo prostituere, & a catholica fide temptans eam separare, nifus est simoniacæ hæresis scelere maculare. Quod audiens sancta Romana Ecclesia mater vestra, & totius Christianitatis, sicut scitis, magistra, congregato e diversis partibus concilio multorum Sacerdotum, & diversorum ordinum consensu, fulta B. Petri apostolorum principis auctoritate, Gotefredum fidei catholice, & Legis Christianæ inimicum excommunicavit, & anathematis jaculo una cum omnibus sibi consentientibus transfixit. Quam excommunicationem, quod etiam inimici sanctæ Ecclesiæ negare non possunt, sancti Patres antiquitus censuerunt, & per omnes sanctas Ecclesias totius orbis catholici viri confirmant, & confirmaverunt. Quapropter ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii, & Spiritus sancti, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum principum, monemus vos fratres charissimi, hortamur, atque præcipimus, ut nullo modo prædicto hæretico Gotefredo consentiatis, quia illi in hoc scelere consentire, fidem Christi est negare; sed quibus modis potestis, ut filii Dei ei resistite, & fidem christianam, qua salvandi estis, omnino defendite; neque vos deterreat humana superbia, quia qui nobiscum est, major est omnibus, & semper invictus, qui vult nos pro se laborare, & coronam legitime certantibus (ut Apostolus promittit) tribuere. Solet enim Dux noster paucis & humilibus multis & superbos conterere, & per ea, quæ sunt infirma mundi, fortia quæque confundere. Sic enim placuit, & sic decet cælestem, & invictum Principem. Omnipotens Deus, qui B. Petro oves suas specialiter commisit, & totius

Bnl. Rom. Tom. II.

Ecclesiæ regimen dedit, vos in ejus dilectione corroboret, ut ejus auctoritate a peccatis vestris absoluti, mereamini inimicos Domini comprimere, & corda illorum ad poenitentiam provocare. Dat. Romæ, Kal. Julii Indict. XI.

Dat. die 1. Julii anno Domini 1073. Pontif. Gregor. anno I.

IV.

Commissio Episcopo Genuensi, ut virum uxorem suam dimittere non permittat, quæ vult ab obiecto fornicationis crimine se expurgare.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri Uberto Genuensi Episcopo, & dilectis filiis, universo loci illius Clero, ac Populo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex Arch. Vatic.

Intelligentes errorem vestrum, de periculo vestro valde timemus; quoniam sacramenta Consortii conjugalis divinis sancita præceptis & legibus inter vos malignis fedari studiis audivimus; scriptum quippe est de Conjugali vinculo: quod Deus conjunxit, homo non separet; & Veritas, ne vir Uxorem suam nisi forte causa fornicationis relinquat, omnino prohibet. Nobis autem relatum est, Anfaldum quemdam, concivem vestrum a Patre suo coactum esse, ut uxorem propriam de fornicatione falso criminatam, nec ulterius habeat, nec judicium purgationis ejus, ad quod ipsa valde desiderat pro discutienda veritate, suscipiat. Quod quia divinis & humanis legibus valde contrarium est, primo te Episcopum, deinde omnes vos admonemus, & apostolica auctoritate præcipimus, ut si mulier ad examinationem legitimam se conferre voluerit, cum omni tranquillitate & expectatione juste comprobationibus recipiatur: & si per misericordiam Dei innocens apparuerit, separari a Viro suo nullatenus patiamini. At si Pater præfati Anfaldi hæc, quæ divina auctoritate diximus, imo si quis Mortalium hæc impedire & prohibere præsumpsit, tuam Episcopo fraternitatem apostolica auctoritate monemus, ut omni respectu gratiæ personalis abjecto, reos anathematis gladio ferire, & a corpore Ecclesiæ dissecare non desinas; & nobis extremam manum imposituris per literas tuas id quanto citius indicare non prætermittas. Præterea volumus, ut quancitius possis, præsentiam tuam nobis exhibere studeas. Data Laterani, quarto Kalendas Martii, indictione XII.

Causa Commissionis.

Matth. 19. Marc. 10.

Mulier se expurgare volens, audienda.

Si innocens sit a Viro nullatenus separanda. Hæc qui impedire tentaverit, anathemate feriatur.

Dat. die 26. Februarii anno Domini 1074. Pontif. Gregor. anno I.

V.

Exhortatio ad omnes Christianos ad succurrendum Orientalibus ab Infidelibus invasis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, omnibus Christianam fidem defendere volentibus salutem & apostolicam benedictionem.

Ex Arch. Vatic.

Notum vobis esse volumus, hunc virum presentium portitorem, dum de ultramarinis nuper reverteretur partibus, Apostolorum limina, & nostram præsentiam visitasse: a

D 2

quo